

### Q. 3 Utrum cum unitate divine essentie personarum trinitas possit stare.

Arguitur quod non, quia si sic, tunc cum unitate divine essentie substantiarum trinitas posset stare. Consequens falsum quia cum ibi nulla sit substantia nisi esse, si ibi esset trinitas substantiarum, ibi esset trinitas essentie. Consequentia nota, quia ipsa est substantia.

Ad oppositum arguitur per illud 1 Iohannis 3, tres sunt quod testimonium etc. pater, verbum et spiritus sanctus (12vb) et hii tres unum sunt.

Pro solutione questionis pono tres conclusiones. Prima quod essentiam divinam esse unam et plurificari non posse habemus ponere. Probatur tripliciter. Primo sic per Avicennam 1 Metaphisice, capitulo 5, supponendo quod Deus sit necesse esse. Probatur sic: Deus est necesse esse formaliter, igitur est unus Deus. Patet consequentia, quia plura necesse esse formaliter esse non possunt, quia si essent plura, secundum aliquid distinguerentur aliter essent unum et non plura sint igitur illa in quibus distinguuntur a et b, aut igitur a est formaliter necessitas essendi et b similiter, aut non. Si sic, igitur per hoc non distinguuntur quin in necesse esse conveniunt si non sint formaliter necessitas essendi, igitur non sunt formaliter necesse esse pro ea quibus distinguuntur formaliter.

Igitur illa quibus distinguuntur erunt entitates possibles, et ita utrumque quod ponitur necesse esse includit entitatem possibilem, et ita non erunt necesse esse, et per consequens nec dii.

Secundo ad idem arguit Ricardus primo De trinitate, capitulo ultimo, supposito quod Deus sit omnipotens sic. Ille qui est vere omnipotens facere potest ut ceterorum quisque nihil possit alioquin verus omnipotens non esset igitur, non potest esse nisi unus solus omnipotens, quia si essent plures, nullus esset omnipotens, quia omnipotentia unius posset tolli per omnipotentiam alterius et econverso. Igitur cum Deus sit omnipotens, solus erit unus Deus.

Tertio ex eadem suppositione arguitur sic: si essent plures dii essent plures omnipotentes. Consequens falsum et implicat contradictionem, igitur. Consequentia nota ex supposito falsitas consequentis sic probatur, quia si sint plures omnipotentes.

Sint a et b, tunc a potest omnia possiblem, quae non implicat contradictionem, similiter et b et sic a est omnipotens respectu locutionis in me, ut sit vel non sit, et neuter vult locutionem meam pro a instanti vel pro aliquo instanti necessario, quia nullum omnipotens vult aliquod contingens necessario potest ergo utrumque velle vel non velle locutionem meam pro c instanti. Ponetur ergo quod a velit me loqui in c instanti et b nolit tunc sic a vult locutionem meam pro c instanti. Igitur in c instanti locutio mea erit similiter b vult non esse locutionem meam pro c instanti. Igitur ipsa non erit, sed quod locutio mea sit pro c instanti et non sit implicat. Igitur et quod sint plures dii. Igitur solus unus Deus. Igitur essentia divina sic est (13ra) una quod plurificari non potest.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: in omni genere entis id quod est aliquale per participationem reducitur ad tale per essentiam, sicut omne ens per accidens reducitur ad ens per se, sed multa sunt individua quae sunt talia per participationem ut hic homo, hic lapis etc.

Igitur hic homo reducitur ad hominem per essentiam et hic lapis ad lapidem per essentiam, sed quicquid est tale est Deus, quia omne tale per essentiam est independens ab alio habens esse non participatum et omne tale Deus est multi. Igitur sunt dii.

Secundo sic: unumquodque est perfectum cum potest producere sibi simile, secundum Philosophum, 4 Metaphisice, textu commenti 18, sed Deus est ens perfectum, igitur. Sed secundum Philosophum 3 Physice, textu commenti 23 in perpetuis non differt esse et posse. Igitur Deus genuit alium deum. Igitur plures dii.

Tertio sic: in omni genere entis plura bona sunt meliora paucioribus quia magis eligenda secundum Philosophum 3 Ethicorum. Sed secundum Anselmum Monologion capitulo 11, omne quod est melius ipsum quam non ipsum in Deo est ponendum. Igitur talis pluralitas bonorum in Deo est ponenda. Igitur plures dii.

Respondeo ad primum: cum dicitur quod omne tale per participationem reducitur ad tale per essentiam. Dico quod verum est ad tale per essentiam quod est tale vel formaliter vel eminenter. Et sic dico quod omnia que habent esse per participationem reducuntur ad ipsum Deum, quod est tale per essentiam non formaliter, sed eminenter, quia omnes perfectiones creaturarum eminenter continet.

Ad secundum, cum dicitur quod unumquodque perfectum est etc., Dico quod illa auctoritas solum habet verum in istis corporalibus generabilibus corruptibilibus qui non possunt perpetuari in uno supposito sed in natura que perpetuatur in uno supposito non habet locum, nam sol dicitur quid perfectum, licet non possit alium generare solem, similiter angelus et anima rationalis modo Deus sic non est generabilis et corruptibilis cum sit formaliter necesse esse.

Ad tertium cum dicitur quod in omni genere entis plura bona sunt meliora paucioribus. Dico quod hoc solum verum est de bonis finitis et limitatis, non autem in bono illimitato et infinito quod eminenter vel formaliter continet omnem bonitatem existentem et possibilem.

Secunda (13rb) conclusio est quod personarum pluralitas stat cum simplici unitate divine essentie. Probatur tripliciter. Primo sic.

Quandocumque aliquod ens ex propria actualitate formali est principium productivum alicuius ubicumque tale ens invenitur ibi etiam erit productio illius, quod natum est a tali principio producti statim patet ut de calore et actu calefaciendi, quia ex quo naturam talis rei sequitur producibilitas vel esse productum propositio affirmans unum de alio est necessaria, sed intellectus habens obiectum intelligibile actu presens sibi ex propria actualitate totius scilicet intellectus et obiecti est productivus noticie genite que dicitur 'verbum'.

Igitur ubicumque invenitur intellectus et obiectum presens sibi invenitur noticia genita, et secundum illum modum secundum quem ibi invenitur.

Sed in supposito primo in divinis intellectus infinitus formaliter habens obiectum infinitum sibi presens in ratione obiecti scilicet essentiam propriam.

Igitur ibi erit principium gignens et genitum et sic ibi erit suppositum infinitum gignens et suppositum infinitum genitum.

Istud etiam argumentum consimiliter posset fieri de voluntate et summo bono presente sibi respectu amoris qui est spiritus sanctus.

Secundo arguitur sic: in omni eo quod non includit imperfectionem necessitas est perfectior condicio quam continentia, sed producere non includit imperfectionem.

Igitur productio simpliciter perfecta cuiusmodi est Dei est productio simpliciter necessaria, sed talis non est Dei ad extra, quia quicquid agit ad extra agit vel producit mere libere et contingenter.

Igitur erit productio ad intra et per consequens suppositum divinum necessario producet aliud suppositum ad intra. Et confirmatur,

quia sicut omne per accidens reducitur ad per se, sic omnis productio Dei contingens ad extra reducitur ad productionem ad intra et necessariam.

Tertio sic et est argumentum Ricardi tertio De trinitate, capitulo 2. Summa caritas est ad summum bonum diligibile, sed tale summe diligibile non est nisi Deus. Igitur caritas qua Deus summe diligit est ad intra, sed non est eiusdem ad se ipsum suppositive, quia nullus propter amorem suum ad se dicitur caritatem habere, sed oportet ut amor in alium tendat ut caritas esse queat, secundum quod ipse Ricardus dicit ibidem. Igitur ibi in Deo est summe diligens et summe diligibile et ita alius et alius in supposito, igitur.

Multe alie ratio- (13va) nes adducuntur, sed nec directe nec alique alie videntur mihi multum concludere, nisi fideli et ideo alias obmitto.

Contra istam conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: ad hoc quod cum unitate stet personarum trinitas sequuntur multa contradictoria, igitur illud non est possibile. Consequentia nota, patet antecedens, quia ad hoc sequitur primo quod eadem res penitus sit communicabilis et non communicabilis, quia essentia est communicabilis, et non persona, cum tamen ponatur una res.

Secundo sequitur quod persona et essentia sunt eadem res et tamen essentia est una et persona non una, persone sunt plures, essentie non plures.

Tertio sequitur quod pater non est alia res quam essentia, et tamen pater generat et essentia non generat, et similiter filius generatur et essentia non generatur, et multe alie contradictiones ex hoc possent induci.

Secundo sic: si conclusio esset vera, sequeretur quod persone divine essent idem inter se arguendo sic. Quicumque uni et eidem sunt idem inter se sunt idem. Igitur pater et filius et spiritus sanctus sunt idem essentie, quia pater est idem quod essentia similiter filius et spiritus sanctus, igitur. Et confirmatur arguendo per syllogismum expository sic: hec essentia est hic pater, hic filius est hec essentia. Igitur hic filius est hic pater. Hic syllogismus expository approbatur a Philosopho 1 Priorum.

Tertio sic: maior est identitas nature ad suppositum in divinis quam in creaturis. Sed propter identitatem nature ad suppositum in creaturis ubi sunt plura supposita ibi sunt plures nature create. Igitur eodem modo multo fortiori ubi sint plura supposita increata ibi sunt plures nature increate. Igitur cum unitate divine essentie pluralitas personarum non potest stare. Multe alie difficultates contra dictam veritatem inducuntur, sed iste videntur maiores et principaliores.

Respondeo ad primum cum dicitur quod ad hoc sequuntur multa contradictoria nego. Ubi sciendum est quod predicata contradictoria possunt predicari de eodem absque implicatione contradictionis, ut predicetur de eodem in diversis temporibus vel si de eodem diverso modo considerato verbi gratia de primo Socrates fuit albus, Socrates non est albus de secundo, nam certum est quod demonstrato Socrates idem realiter est hic homo et homo animal et tamen de ista eadem re verificantur insimul contradictoria, quia hec res in quantum homo intelligit hec res in quantum animal non intelligit.

Sic dicitur in pro- (13vb) posito de eadem re simplicissima que scilicet est essentia divina possunt verificari contradictoria absque implicatione contradictionis. Et sic conceditur quod eadem res est communicabilis et non communicabilis, sed communicabilis in quantum essentia non communicabilis in quantum persona, similiter quod eadem res est persona et essentia, sed in quantum persona plurificatur.

Similiter quod eadem res est pater et essentia, sed in quantum pater generat, in quantum essentia non generat, et sic licet de eadem re verificentur contradictoria, non tamen eodem modo considerata, et sic absque implicatione contradictionis.

Alii autem dicunt ad argumentum per distinctionem formalem inter essentiam et personam. Sed de hoc alias, scilicet quaestione XXV.

Ad secundum cum dicitur quod tunc persone divine essent idem negatur in quantum persone. Ad probationem, quando dicitur quod quodcumque uni et eidem etc.

Ad hoc dicunt aliqui quod regula solum tenet in terminis mere absolutis, persona autem importat relationem, et non sic est ad propositum et ratio ipsorum est quia esse unius relativi non est ad fundamentum, sed ad aliud, scilicet ad suum correlativum.

Alii dicunt illam maximam solum teneri in terminis limitatis et finitis, cuiusmodi non est essentia et persone divine. Alii dicunt quod solum tenet in terminis convertibilibus cuiusmodi non sunt essentia et persone, quia essentia cadit in conceptu quiditatis cuiuslibet persone divine et relationis et non e converso.

Et ideo propter suam infinitatem sic est eadem persone uni quod se tota excedit eam et ad hoc ponuntur exempla.

Primo de anima rationali que se tota est in pede et inadequate quia cum hec est in capite.

Secundum est de immensitate per quam Deus sic est presens uni loco quod cum hoc est presens alteri, nec propter hoc illa mutuo sunt presentia, et ita a simili.

Deus per suam infinitatem poterit esse idem patri et filio, esto quod illi adinvicem distinguantur.

Tertium exemplum de divina eternitate per quam Deus attingit omnes partes temporis simul dato quod ille inter se non sint simul.

Alii dicunt quod illa maxima sic intelligitur. Quecumque uni et eidem etc. Verum est eodem modo quo sunt idem in tertio modo dicitur quod pater et filius sunt idem essentie divine et hoc idem pater absolute et essentiali et sic conceditur quod etiam sunt idem inter se eadem idem pater.

Sed dices contra, pater et filius eodem modo quo sunt idem in tertio sunt idem inter se per se, (14ra) sed in tertio sunt idem realiter. Igitur et inter se. Ad hoc conceditur quod sunt idem realiter inter se realitate absoluta et essentiali hoc est Dei quod sunt una essentia, sed ex hoc non sequitur quod sunt idem idem pater relativa inter se.

Et quando confirmatur de silogismo expository, dicitur quod similis expository non tenet in terminis infinitis et illimitatis et sic non tenet in divinis vel quod si tenet in divinis quod non tenet simpliciter sed expositive scilicet quod conclusio debet exponi ut cum dicitur hec essentia est hic pater hic filius est hec essentia.

Igitur hic filius est hic pater debet sic conclusio exponi. Igitur hic filius est id quod pater, quia est eadem essentia.

Vel dicendum sicut ad precedens scilicet quod conclusio debet intelligi de eadem identitate qua intelliguntur premissae, ut cum arguitur: hec essentia est hic patet verum est idem pater absolute et essentiali. Hic filius est hec essentia verum est idem pater absolute et essentiali.

Igitur hic filius est hic pater, verum est identitate absoluta et essentiali et cum hoc stat quod realiter differant pater et filius.

Ad tertium cum dicitur maior est idemtas suppositi ad naturam in divinis quam in creaturis etc. Ad hoc dico duo. Primo quod suppositum creatum et natura creata qua ipsum suppositatur ut proprio supposito sic sunt idem quod suppositum enim est aliquid quando ipsa natura sit illud nec econverso et sic omnino sunt idem et convertibiliter et ideo in creaturis si supposita sint plura oportet quod nature sint plures.

Dico secundo quod natura increata et suppositum increatum sic sunt quod cum natura sit aliquid suppositum non est id, sicut patet, quia essentia divina est pater et filius et spiritus sanctus et filius non est pater et sic sunt penitus idem realiter, licet non convertibiliter et ideo ad multiplicationem suppositorum in divinis non sequitur multiplicatio naturarum.

Tunc ad argumentum, dico quod proprie non est maior identitas suppositi ad naturam in divinis quam in creaturas, quia ubique sunt una res sed bene dico quod aliter quia in creaturis sunt idem convertibiliter, sed non in divinis. Et ratione istius difficultatis non valet argumentum.

Tertia conclusio est quod licet secunda conclusio sit vera, tamen intellectui viatoris non potest esse evidens in naturali lumine, probatur tripliciter. Primo sic.

Non potest esse evidens intellectui viatoris naturali lumine quod ad plur<al>itatem (14rb) personarum non sequatur pluralitas essentiarum. Igitur nec dicta conclusio. Consequentia nota per simile utrobique, antecedens patet, quia tunc posset esse evidens intellectui quod ad multiplicationem inferiorum non sequeretur multiplicatio superiorum. Consequens est falsum, quia tunc posset esse evidens quod essent duo homines realiter et personaliter distincti, et non esset nisi unum animal, quod non apparet.

Secundo si sic dicta conclusio foret evidens, vel posset esse tunc aut esset per se evidens, et per se nota ex terminis, aut quia posset sic ex aliis evidenter notis inferri in tali lumine naturali. Not potest dari primum, quia tunc eadem ratione quilibet articulus foret evidens et sic cogeret communem intellectum ad assensum suum sicut illud principium "omne totum est maius sua parte", quod est falsum. Nec secundo modo, quia tunc quodlibet fidelis posset omnia credibilia naturali ratione cognoscere quod est falsum, quia ad hoc requiritur aliquod lumen supernaturale sive gratia specialis, ut videtur dicere sapiens Sapientie 9 dicens: *sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam et misteris spiritum, scilicet de altissimi etc.*

Tertio sic, illud quod non potest cognosci nisi mediante iustitia fidei non potest esse evidens intellectui viatoris in solo naturali lumine. Sed talis est veritas secundo conclusionis, igitur. Maior not, quia iustitia fidei videtur excludere evidentia quia est de hiis que non apparent, ut ait magister libro 3 distinctione 23. Minor apparet per Augustinum 1 De trinitate et allegatur libro 1, distinctione 2 dicentem mentis humane acies invalida in tam excelenti luce non fingitur nisi per iusticiam fidei evidenter.

Contra conclusionem arguit quidam tripliciter, probando quod quilibet articulus fidei possit esse evidens. Primo sic: articulus fidei aut apparet cuilibet verus, ita quod nulli falsus, et tunc est evidens, aut apparet apparet alicui falsus puta infideli, sed tunc arguo sic. Quia aut apparet apparet sibi falsus, propter malam illationem de terminis, aut quia eius opposita apparent sibi vera ex quo articulus apparet sibi falsus. Non primum, quia talis habet artem sufficientem vel habere potest in naturali lumine ad vitandum omnem falsam formam et ad solvendum omnes paralogramas ex libro Priorum et Elenchorum.

Nec secundum, quia queratur de opposita articuli que sibi apparet vera, cum tamen sint falsa, aut hoc sibi apparet, scilicet quod sit vera ratione materie et certum est quod non, cum sit falsa, aut ratione illationis et forme, quia ipsam infert ex (14va) alia et tunc quero, aut talis

forma per quam opposita articuli infert scilicet oppositam ex alia aut est vera, aut falsa. Si falsa, forma potest eam naturaliter cognoscere, ut dictum est. Si vera forma est, et bona.

Igitur propositio ex qua oppositum articuli infert est falsa, quam tamen credit veram, quia ex ipsa infert falsum, scilicet oppositum articuli tamen ex veris per bonam formam non infertur falsum et tunc quero de illa falsa que apparet sibi vera. Aut hoc est ratione materie, et certum est quod non, cum de se sit falsa, aut ratione forme, et sic procederem in infinitum.

Secundo sic illud potest nobis esse evidens in lumine naturali de quo naturaliter scire possimus quod ad ipsum nullum sequitur impossibile. Articulus fidei est huiusmodi, igitur. Maior nota; probatur minor, quia cum quilibet articulus sit verus, oportet quod omnis ratio inferens eius contradictoriam peccet aut in forma aut in materia. Si in forma naturaliter potest haberi ars sufficiens ad solvendum omnem falsam formam.

Si in materia, cum nulla falsa propositio possit esse evidens, naturaliter potest sciri illam esse falsam.

Igitur via naturali sufficienter solvere possumus omnes rationes factas contra articulum fidei et sic ipsum articulum evidenter cognoscere naturaliter, quia secundum philosophum 3 Metaphisice textu commenti primi solutio dubiorum est caput ad vestigandum veritatem, igitur.

Tertio arguitur auctoritatibus primo auctoritate Augustini 15 De trinitate capitulo primo dicentis utrum divina natura sit trinitas non solum credere, sed etiam ratione si possimus demonstrare debemus. Demonstratio autem facit evidenciam, igitur.

Item idem, 14 De trinitate, capitulo 2, vocat notitiam fidei scientificam. Notitia autem scientifica est evidens, igitur.

Idem Ricardus, 1 De trinitate, capitulo 4, dicit "erit namque intentionis nostre in hoc opere ad ea quae credimus non solum probabiles verum etiam necessarias rationes adducere et subdit: "credo namque ad quorumlibet necessariorum explanationem non solum probabilia verum etiam argumenta necessaria non deesse.

Respondeo et dico ad primum quod articulus alicui apparet falsus. Aliquando ex uno, aliquando ex alio, et dico ulterius quod viator non potest naturaliter habere artem solvendi evidentem ad omnem falsam formam maxime circa materiam supernaturalium etiam et quod non potest naturaliter cognoscere evidenter falsitatem omnis propositionis ut fuit dictum (14vb) in secunda quaestione in solutione argumenti contra correlativum tertie conclusionis.

Ad tertium concessa maiori nego minorem. Ad probationem dico quod licet omne argumentum inferens oppositum articuli peccet in materia vel in forma, tamen tale peccatum vel talis defectus non potest nobis evidenter esse cognitus maxime circa divinitatem que alio modo se habet quam illa qui nobis sunt evidentia.

Ad tertium et ad primam auctoritatem Augustini dico quod capit rationem ibi non pro sillogismo demonstrativo, sed per sillogismo verisimili. Ad secundam auctoritatem dictum est in solutione argumentorum contra secundam conclusionem secunde questionis quod ibi accipit scientiam large, et talis non facit evidenciam. Ad tertiam auctoritatem Ricardi dico quod Ricardus per rationes probabiles intelligit rationes apparenter concludentes, et per rationes necessarias intelligit rationes secundum rei veritatem concludentes.

Unde per illa verba vult dicere quod ad probandos articulos adducit possunt rationes non solum apparentes et sophisticæ, sed veras et necessarias propositiones affirmantes et necessario concludentes, licet non evidenter.

Vel posset dici quod argumenta talia sunt possibile, sed non nobis propter defectum intellectus nostri, vel propter absentiam obiecti etc.

Ad argumentum in oppositum patet per dicta in solutione argumenti tertii contra secundam conclusionem presentis questionis, quia in divinis possunt multiplicari supposita, sicut multiplicatione essentiarum etc.